



# De fungo articuli

<https://hdl.handle.net/1874/210859>

DE  
F V N G O A R T I C V L I

DISSERTATIO ANATOMICO - CHIRVRGICA

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS VITEBERGENSIS  
AVCTORITATE ET CONSENSV

PRAE SIDE

D. FRIDERICO LVDOVICO  
KREYSIG

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VICAR. ETC.

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS  
IM PET RANDIS

D. XXIV. MENS. SEPTBR. A. CICICCCXCIX

H. L. Q. C

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS GVILIELMVS HENRICVS LACHMANN

LVBANO - LVSATVS

MEDICINAE CANDIDATVS

VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII



§. I.

*In troitius.*

Pertinacissimos morbos partium solidarum maximeque rebelles a chirurgis frustra saepe impugnatos, in extremitatibus corporis inferioribus plerumque accidere, quotidie obseruatur, quae dum longius a corde distant, terraeque fere perpetuo insistant, partim continuo fere per ligaturas, in primis si crebriori motu carent, compressae, partim sanguinem suum difficultius cordi reddentes, magis quam ceterae oedemata et varices facile contrahunt. Variis malis extremitatum inferiorum, iisque haud lenibus certe annumerantur ea, quae articulos ossium occupant, vbi non ut in diaphysi ossis longi, unius tantum ossis pars cum musculis afficitur, sed varia ossa sibi vicina pluresque aliae partes diversae structurae simul laeduntur. Etenim praeter partes extremas duorum, vel superficies articulares plurium ossium inter se concurrentium, etiam ligamenta partim capsularia, partim teretia et aponeurotica, quorum ope illa arcto inter se nexus gaudent, una cum synovia articulari et glandulis grauius turbantur. Hinc in prognosi cuiusvis morbi articularis grauis cum certitudine quadam constituenda semper ad sedenti mali chirurgum accurate respicere oportebit, ut dignoscatur, utrum, quod modo monebamus, malum insidet parti mediae ossis fistulosis, ita, ut adiacentia ossa vitii idiopatici immunia sint, an os vicinum simul corripiat una cum partibus, quae articulationem sustinent, motumque efficiunt. Quae scilicet cum spongiosa gaudent fabrica, facile quoque arrosa motum difficultimum reddent vel prorsus impident. Abscessus a causis lenioribus et externis orti, hisce in locis iam per se perniciosi sunt, magis vero, vbi sponte sua in morbis acutis ibi depositi sunt tanquam metastases. Qui vero tumores chronici et lente procedentes, ab uniuersa humorum depravatione in

A

articulis sedem figunt, aut etiam a sola humorum articularium circulatione aequo tardiore proueniunt, maius minantur periculum. Inter reliquos tumores articulorum, vnum tantum, qui nec ad oedemata, nec ad cysticos pertinet, fungum scilicet articuli commemorabo, etiam lupia a quibusdam nominatum, siue tumorem album, ab Anglis *White Swelling*, cuius morbi *Berolini*, quod chirurgos Germaniae ibi confluentes certe non sine summo fructu remittit, praeeuntibus nimirum praceptoribus texterrimis artisque suae callidissimis a me obseruati, descriptio materiam dissertationi inaugurali, nunc a me elaboranda, suppeditare sat idoneam videtur.

### §. II.

#### *D e f i n i t i o.*

Fungum, siue tumorem album articuli, illum nominant tumorem chronicum, qui plerumque articulationem genu tenet occupatam; diffusus vel limitibus circumscriptus est, albus, initio mollis non inflammatus, spongiosus, elasticus, non fluctuans, sed grauter dolens, non vt oedema, quod huic saepe ortum suum debet, quoad ambitum, mutabile. Quod ad natales mali pertinet, inter nationes europaeas Anglos maxime amat et Germanos, qui forte malum hoc sibi facilius contrahunt per abusum victus farinosi, cui opinioni fauet BRAMBILLA.<sup>1)</sup> Angli sub nomine *White Swelling* etiam hydropem articuli intelligunt.<sup>2)</sup> Germanis in quibusdam regionibus sub nomine *Katzenkopf* occurrit. HIPPOCRATIS κεδματα idem fuisse putat REIMARVS.<sup>3)</sup> De sede mali constat, hoc praeprimis tenere articulos maiores, rarius occupare carpum et tarsum. Inter illos vero articulum genu lubentius sibi eligere quam articulationem acetabuli ossis innominati cum capite foemoris.<sup>4)</sup> Rarissimis vero casibus sedes mali in articulo cu-

1) vid. *Abhandl. vom Gliedschwamme im 1st. Bande der JOSEPH. medic. chir. Academie zu Wien*, 1787.

2) vid. MÜLLERI dissert. de fung. articul. Goetting. 1780.

3) vid. Ej. dissert. de tumorib. artic. seu fung. art. Lugd. Batav. 1735.

4) vid. BECKERI dissert. de fung. articul. Rost. 1793.

biti figitur. Ut vero accuratiorem mali sedem definiamus, haec rursum tum in partibus mollibus tum in ipsis ossibus deprehenditur. Angli, accurate quidem, ut sibi videntur, malum diuiserunt in rheumaticum et scrophulosum. Quae vero diuisio cum a solis causis internis morbi repetita sit, omni causa externa, interdum satis frugifera, praetermissa, ea nobis magis arridet, quam BRAMBILLAE visum est condere malum diuidenti in durum et molle. Hunc fungum sub cute ponit in contextu celluloso, ubi quoque fluctuat, atque incisione apertus aliquot tantum guttulas sanguinis emittit, seri vero paucas tantum vel nullas. Intimus vero recessus totus quantus completus est materia gelatinosa vix fluente. Post incisionem non collabitur tumor, quia humor non in unica cauernula et sacco est inclusus, sed potius per omnem textum cellulosum diffusus. Mollem, contendit, interdum degenerare in durum, qui tumorem profundiorem resistentem, supra vel infra patellam eminentem, referat. Progrediente tempore contendit BECKER l. c. molitudinem minui, quid? quod tumorem contrahere adeo duritiem. Haec diuisio, quamquam lectoribus fortasse non displicet, omnium tamen plausum non feret, vt pote cum per accidens e molli fungo prodire possit durus. Hinc forsitan aptior erit seorsim in *fungum profundum et superficialem*. Haec enim diuisio illi, quam Angli fecerunt, propterea preferenda esse videtur, quia a notis in sensu occurrentibus et externis desumpta est et BRAMBILLIANAE, quia constantior est, indeque statim ab initio qui libet fungus accurate discerni potest, dum BRAMBILLA concedit, mollem fungum suum degenerare posse facile in durum. Aliam diuisionem, quae varia morbi stadia ante oculos habet, et fungum in apertum et exultatum separat, transmittimus. Ne vero diuisionibus commemoratis meliores nos proferre velle videamur, potius comparatione facta inter nostram atque illas, semper notas, quibus erui possit similitudo, ante oculos habebimus. Superficialis fungus magis in partibus molibus articuli genu sedet, ossaque intacta relinquit. Maxima huic intercedit similitudo cum fungo articulari rheumatico Anglorum, quem sic describunt, esse eum tumorem simplicem magis, quam complicatum, ab initio acerbe dolentem, supra omnem articulum diffusum, sine

coloris mutatione cutis. Dolores sub motu enormes, quiescente articulo inflexo, obmutescunt, sub stragulis recrudescunt, reliquum membra marcescit. Profundus autem statim ab ortu suo in ossibus et ligamentis sese manifestans aequa difficultas est cognitu, curatu vero difficultior reperitur, et cum fungo scrophuloso conuenire videtur, de quo iidem sic referunt: nimurum esse tumorem maioribus iunctum doloribus priore, at arctioribus limitibus circumductum, certaque semper fereque immutabili sedi adscriptum. Tumor ab initio valde exiguus lente procedit, dolores, vehementia sua ab fungi rheumatici cruciatu non discedentes, morbo vterius protracto, mitiores fiunt. Ipsi condyli ossium indies magis magisque intumescent. Tumor vero incisus nec sanguinem, vt rheumaticus, nec humoris crassi aliquid emittit, potius ichorem foetidum, quod ossibus cariosis innat.

Nunc quoque de eo dicamus, quod in ipsis tumoribus inuenit chirurgorum accurata perscrutatio. Anatomica disquisitio nullam laesionem ossium detexit in fungo rheumatico, tantum ligamentorum intumescentiam pro temporis longinquitate variantem. Contextum cellulosum suffusit materia gelatinosa seu glutinosa, de qua iam diximus, omnem elasticitatem tumor parare. Tumorem vero inueteratum, qui circumfusus est materia tenaci, canaliculi ulcerosi perreptant, imo hydatides replent. Tandem vero a tamen acri materia non nisi arrosionem et destructionem ossium prouenire oportet.

Aliter vero se res habet cum fungo scrophuloso, partes solidas molles minus afficiente, quam duras quarum scilicet extremitates memorabiles tumores ostendunt, qui adhuc integrum ossis figuram retinent, vel ab ichore prorsus consumuntur, integra cartilaginum forma relicta. Progrediente vero malo hae quoque laeduntur.

### §. III.

Hac mali deterimi descriptione, e qua eius natura apparet, praemissa, abs re non erit, ne quid necessarii omisisse videamur, anatomiam articuli genu breuiter describere et cubiti.

Genu duorum ossium, interuenientibus cartilaginibus et ligamentis, extremitates tuberosae constituunt, quae in parte anteriori ab alio osse contiguo ipsisque quasi apposito firmantur. Superiorem partem extremitas inferior foemoris constituit, in duos condylos diuisa, interiorem, eminentiorem et maiorem, et exteriorem, magis depresso. *Condyli articulares* spongiosores reliquo osse cartilagine instructi sunt articulari. In lateribus emittunt *eminentiam asperam*, quam tuberositatem condylorum nominamus, quibus adhaerent ligamenta lateralia articuli genu. Condylis postrorsum, ubi magis eminent et distant, fossa insculpta est, quae *sulcus* seu *fossa condylorum* nominatur, in qua ligamenta cruciata haerent, quibus multum pinguedinis, glandulas articulares includentis, substratum est. Condyli, anterorsum sibi propiores, leniorem excavationem formant, quam *cavitatem condylorum anteriores* dicunt, cui patella inhaeret. Os in cavitate posteriore condylorum admodum porosum, et vasorum osioli perforatum, facile insugit materiam acrem, quae in primis in fungo scrophuloso grauem deuastationem ossi facile infert.

Tibia foemori subiacens, crassissimam suam extremitatem, quam etiam *caput* dicunt, erigit versus condylos foemoris modo commoratos, cum quibus accurate confluit. Haecce pars quoque duos monstrat *condylos*, internum atque externum, asperos et canalibus sanguiferis perforatos. Superficiem vero superiorem, cui condyli foemoris insident, perpolitam inuenies ob motum leuorem, et cartilaginibus obsecram. Caeterum, ut condyli foemoris sedem firmiorem habeant, duobus sinibus articularibus, qui etiam *cavitates glenoidales* dicuntur, leniter excavata est, quarum una, interior scilicet, cauum paulo profundius, ambitumque maiorem ostendit, exteriore ob condylum foemoris internum, paulo magis supra socium elata. Totum ambitum harum cavitatum circumdant cartilagines lunatae, quibus interposita est eminentia non multum erecta, quae *acclivitas* dicitur atque in duas apices exiens, interiorem scilicet paulo maiorem, et exteriorem. Inter utramque apicem sulcus excurrit, qui dicitur *sulcus inter apices acclivitatis*. Ante acclivitatem et pone illam reperitur *souea*, quam in anteriores et posteriores discernunt partem, cui a vasis nu-

trientibus perforatae, insident ligamenta cruciata, cartilaginumque lunatarum apices. Tandem notamus spinam seu tuberositatem tibiae, in pagina anteriore sub medio cavitatum glenoidalium concursu decurrentem. Cartilaginea a sua figura lunatae seu falcatae dictae, inter condylos foemoris et cavitates glenoidales tibiae iacent. Quaelibet duobus marginibus est circumcincta, exteriore scilicet conuexo crasso, interiore concauo, acuto. Acutus libere mouetur nullibi accretus, crassus vero tenet ligamentum capsulare genu. Apices eius seu cornua simul in ligamenta cruciata transeuntia annexi sunt sive illis ante et pone acclivitatem reperiundis. Patella os crassum, subrotundum, antrosum cordiforme et connexum, postrosum transuersum excauatum, superiore partem refert latam, inferiore acutam, marginesque laterales rectos, superiorem vero arcuatum. Propriis ligamentis carere videtur, cum tendo communis musculi recti, cruralis, atque vasorum supra patellam extensus, hanc tibiae tuberositati affigat. Inferiorem partem tamen ab apice tibiae ad tuberositatem extensam pro peculiari ligamento ventilant. Inter ligamenta, quae miram articulationem genu constituunt, notamus interna, quae intra capsulam sedent, atque externa, quae extra articulum supra capsulam genu decurrent. A membrana genu capsulari merito incipimus, a fascia foemoris et cruris testa, cum qua etiam concrescit. Oritur statim supra fossam condylorum posteriorem et cavitatem anteriorem a tuberibus lateralibus. Postquam patellam obduxit, finem tandem quaerit in ambitu articulari plani glenoidalis tibiae. Cum per se debile sit ligamentum, robur accipit a vagina foemoris, quae est aponeurosis muscularum vasorum, recti foemoris et cruris, gastrognemiorum et poplitei. Pagina anterior subtilissima eius pars est, paullo crassior in lateribus apparet, crassissima denique in caufo popliteo. Amplexitur patellam et cartilaginem semilunatarum margines conuexos. Nunc quoque de ligamentis extra capsulam positis, et quidem postico Winslowii sive *ligamento popliteo*. Hoc ligamentum, cuius absentia haud rara per ipsius membranae capsularis crassitatem aequo maiorem compensatur, supra condylum exteriorem ortum oblique deorsum atque introrsum currit ad condyli interioris marginem interiorem. Latitudi-

nem fere trium linearum ostendit. Duobus lateribus articuli, interiori atque exteriori, inhaerent duo alia ligamenta, lateralia dicta, secundum longitudinem decurrentia, quorum alterum simplex, alterum vero duplex existit. Illud a situ *internum* dictum a tuberositate condyli interni femoris supra condylum internum tibiae descendit, ac superiori parti anguli interni corporis tibiae tandem annexitur. Hoc autem duplex scilicet, in laterale externum longum et breve dividitur. Illud magis teres quam aponeuroticum a tuberositate condyli decurrit ad superficiem externam fibulae capitis, hoc autem iuxta prius magis postrorsum situm ab ipsa membrana capsulari, vbi scilicet cartilaginis margo conexus transparet, oritur, atque tuberositati posterioris partis capitis fibulae annexitur. Ligamenta in ipsa capsula genu inclusa, sunt *cruciata* et *mucosa*. *Cruciata*, quae duplice ordine exstant, in anticum et posticum dividuntur. Anticum oritur ab inferiore apice acclivitatis tibiae atque e fouea acclivitatis anteriori, oblique sursum et extrorsum versus superficiem interiorem condyli externi femoris excurrit. Posticum e fouea acclivitatis posteriori ortum oblique sursum introrsum ac antrorsum, decussatione cum priore ligamento facta, ad superficiem exteriorem condyli interni abit.

Reclinata patella cum membrana capsulari, intra illam et acclivitatem tibiae, duplicature capsulae apparent scilicet ligamentum seu membrana mucosa cum alaribus ligamentis. Illud in medio positum et a confluxu alarium e parte anterie ore poplitei caui ortum cum ligamento cruciato antico cohaeret, haec autem, quorum alterum internum, a situ, siue maius, alterum externum, siue minus salutatur, ad margines anteriores cartilaginum interarticulare exeunt. (Posse commode haec ligamenta mediastrinum articulationis genu dicere, quia partim spatium replent, atque e contextu cellulofo conflata sunt, partim quoque glandulas articulares permultas cum axungia articulari inter se continent.)

Nunc quoque, quamquam rariorem sedem fungi articularis in cubito obseruamus, eius tamen structuram anatomice disquiramus. Articulatio cubiti a tribus ossibus formatur, nimirum ab extremitate inferiori humeri atque ab extremitate superiori ulnae et radii. Extre-

mitas inferior humeri tanquam primarium os ad articulationem plurimum conferens, priusquam ad ipsum articulum abit, latiore extensionem quam corpus suum experitur, dum in figuram fere cordiformem planam redigitur. Etenim a corpore ossis duo anguli sensim extorsum latius a se distenduntur, ac in singula tubercula finiuntur, seu condylos, internum scilicet atque externum, inter quos hic extensorius dicitur, quoniam sibi affixos habet musculos extensores et supinatoibus, ille vero, flexorius nominatus, musculos flexores et pronatorem teretem retinet. Cum quoque alii sint condyli huius extremitatis, quorum ope articulatio efficitur, commode omnes in articulares et non articulares possunt diuidi, sub his intelligo eos, quorum modo mentio facta est. Illi vero sunt sic dictae eminentiae articulares, trochlea nempe extorsum sita, in qua vertitur cavaitas semilunaris maior extremitatis superioris vlnae, et eminentia capitata intorsum locata, circa quam voluitur cavaitas glenoidalis capitis radii. Sinum seu cavitatem trochleae duo margines circumducunt, externus scilicet obtusus, et magis depresso, internus acutus super illum elevatus. Cum ambo ossa antibrachii, manu alterutra humero suo imposita, ad os humeri arcte adduci possint, duas quoque foueas in pagina anterieore extremitatis inferioris ossis humeri inuenies, maiorem seu interiorem, cui insidet processus coronoideus vlnae, exteriorem seu minorem, quam explet marginis capitis radii pars anterior. Cum vero radius reflectere nequeas ut ipsam vlnam, sic, ut dorsum manus scapulae imponere possis, in pagina posteriore extremitatis eiusdem humeralis ossis nullam quoque foueam deprehendes pro capite radii, sed illam tantummodo, quam relinquit olecranon vlnae extensa. Duo adhuc, ut constat, ossa ad formandam articulationem cubiti conferunt, vlna scilicet et radius. Vlnae pars seu extremitas superior olecranum seu processum anconaeum ostendit, qui semper, dum brachium extensum tenetur, posteriore paginam extremitatis inferioris ossis humeri spectat; in duas autem partes diuiditur, in superficiem asperam, ob musculi tricipitis tendinis adhaesionem, et inferiorem magis politam et triangularem, cui adhaeret musculus anconaeus quartus. Deinde aliud processum exhibet, nimirum corono-

noideum, olecrano inferiorem, quem fossa anterior maior extremitatis inferioris humeri excipit. Inferior pars huius processus, radix dicta, angulum eminentem emitit, pro adhaesione musculi brachialis interni, iuxta quem fouea excurrit, in qua latet pars tendinis musculi brachialis interni. Olecranon et processus coronoideus, cavitate interposita sigmoidea, a se separantur, quae cartilagine obducta et linea cruciata diuisa est in quatuor areolas. Exteriore lateri huius processus cavitas assidet semilunaris, in qua versitur circumferentia capitis radii.

Radius ad articulationem cubiti erigit capitulum suum superius, quod ambitu circulari circumducitur, quem cavitas semilunaris minor vlnae excipit. Capituli superficies superior excauata est ob articulationem, quam cum eminentia capitata ossis humeri facit. Collum capituli asperum est ab adhaesione ligamenti annularis radii. Sub fine colli tuberositas sese eleuat pro annexu tendinis musculi bicipitis brachii.

*Ligamenta*, quae articulum cubiti constituunt, sunt *membrana capsularis cubiti* cum ligamento *orbiculari* radii et ligamentis lateralibus. *Membrana capsularis cubiti* supra fossam posteriorem ossis humeri in angulis condylorum, supraque fossam utramque anteriem oritur, posteriorum in marginibus olecrani vlnae descendit, antrorsum simile iter ad processum coronoideum sequitur. Caput radii inuoluit conflitque cum ligamento orbiculari radii. Paginae eius anteriori robur addunt quaedam fibrae tendineae obliquae, a fossa anteriore maiore versus ligamentum orbiculare radii extensae.

*Ligamenta lateralia*, quae in internum atque externum sciunguntur, in utroque latere, exteriore videlicet et interiore, decurrunt. Illud a condylo interno ossis humeri recta decurrit ad asperitatem marginis posterioris cavitatis semilunaris majoris vlnae; hoc autem a condylo externo nominati ossis recta defluit ad ligamentum orbiculare radii. *Ligamentum orbiculare radii* seu annulare, a cavitate semilunari minori vlnae proueniens, circa caput et collum radii flectitur ad cavitatis semilunaris minoris marginem externum. Exteriorem huius ligamenti superficiem annulus accessorius circumducit. Reliqua ligamenta, mem-

branam interosseam ac chordam transuersalem cubiti, infra membranam capsularem expansam, cum ad articulum nil conferant, merito facimus missa. Miram articulationem carpi et tarsi omittimus; rariorem quippe sedem fungo parant, et, si semel affecta fuerint ligamenta tenera; facile, omni spreta curatione, ad destructionem ruent.

§. IV.

*Diagnosis fungi articuli superficialis.*

Facili negotio eruitur diagnosis fungi articuli superficialis, neque obscurae sunt notae ad eundem ab aliis morbis discernendum aptae. Debilitatem, omnis doloris atque inflammationis expertem, cui impotenta genu flectendi, ob vitium ligamentorum articulatum, tam emollitorum, vt sub tactu gelatinam fluctuantem referre videantur, adiuncta est, tanquam comites perpetuos certissimis tutissimisque signis annumerat KIRKLAND, 5) praeterea vero vestigia liquidi gelatinosi circa omnem contextum cellulosum articuli suffusi. Hoc vero iudicium nobis tantum vel de primo ortu fungi articularis superficialis valere videtur, vel de fungo profundo, vel potius de hydrope articuli, quem, quod iam dictum est, saepe Angli cum fungo confundere solent. Fungus enim superficialis, simulac sese in partibus molibus genu tumore suo prodit, dolorem quoque secum fert acerbum. Quae duo symptomata tam paribus semper ambulant passibus per morbi decursum, vt signum characteristicum ex illis fere solis desumere possis. Dolorem vero tumore inconstantiorem esse, ratione vehementiae, dum situm mutat, per se apparet, mitescit enim, pede quieti commisso, increscit, hoc per motum agitato. Qui vero etiam sub pedis quiete perdurat, tumori accurate respondet. Ex ipso doloris gradu diuerso, febris quoque symptomaticae vehementia variabit. Sub pressione partium solidarum mollium, augetur quoque dolor. Tumor tantum occupat telam cellulosam, ab initio in singulis tantum locis, inter se discretis, apparet, postea vero supra totum articulum

5) vid. An enquiry into the present state of medical surgery, Lond. 1783.

diffunditur. Initio faciem mollem, spongiosam et pallidam refert, sub incremento vero colorem pallido rubrum induit. Sub ipso tumore, interdum praegrandi, condyli tamen articulares quoad substantiam et figuram nullo modo mutati sentiuntur. Saepissime quoque huius fungi periodicum redditum obseruarunt Auctores; saepe quoque transitum in alios morbos. Malum, quod diu nullam mutationem ostendit, sequentes tandem subit mutationes. Vel enim eruptione extorsum facta, ichorem et odore et colore foetidum emitit, sanationem vix admittentem, dum loca, ubi ichor effunditur, mutatis vicibus mox clauduntur, mox aperiuntur, vel interiora versus se vertit magis, ossaque carie infestata tumida reddit. Sub tam misero corporis statu febris hectica oriatur necesse est.

## §. V.

*Diagnosis fungi articularis profundii.*

Fungus articuli profundus, pro scrophuloso habendus, a priori toto coelo differt, tum sede et ortu, tum progressu. Quae inter tumorem et dolorem fungi superficialis obseruatur harmonia, in hoc prorsus desideratur, siquidem cum dolor tumor nullo modo sese accommodet. In medio articulo sedens vel supra patellam, vel infra, haud raro quoque in utroque latere surgit, in qua sedis diuersitate etiam prognosticon curationis laetum vel triste quaerunt, dum nempe illum, qui inferiorem patellae marginem tangit, sanationem lubentius admittere credunt; magnitudinem nucis iuglandis refert, duritatem compactam prementibus digitis non facile cedentein, dolorem sub motu valde increcentem. Extus saepe prorsus nullus tumor obseruatur, nec cutis vlla mutatio, articulus potius omnis vitii expers videtur, unde certe concludere potes, sedem mali magis in ossibus, hisque fere solis, quam in aliis partibus haerere. Condyli articulorum interdum pergrandes apparent, ac ligamenta praeter naturam tumida. Tumor tandem a condylis quoque ad corpora ossium abit, haecque sensim, malo indies ulterius serpente, infestat. Totum huius fungi decursum tribus periodis seu stadiis, notabilibus signis distinctis, commode cir-

eumscribere iuuabit, vt statim cognosci possit, qualis exitus curationis sit sperandus. *Primum stadium* dolore et tumore se indicat, quibus molestiis motus articuli fere in totum sufflaminatur. *Malum* in priori stadio, in ossibus magis habitans, nunc in *secundo stadio* ad partes molles transit, quas tumore intendit permagno, minus tamen duro, quam in superficiali. *Mirum* vero videtur cum tumoris incremento doloris leuamen oriri, quod symptoma a metastasi deriuari potest, ab ossibus ad solidas molles partes facta. *Tumor* vero indies nunc durior, cutim ostendit quotidie magis lauem et splendentem. In *tertio periodo* humores acriores facti, carie ossa destruunt. *Tumor emollitus* ac interiora versus apertus, per canaliculos, quibus perforatus est, ichorem fundit caseosum, sebaceum, vnde fistulae oriuntur plures, vlceraque sinuosa ad articulum ipsum, in quo hiant, extensa. Quae materiae ichorosae pars resorbetur, totam massam sanguinis inficit, lymphaque nutritre, per causticam eius acrimoniam destructa, febrem hecticam incendit, totum paulatim corpus depascentem.

### §. VI.

**C**um accurata mali cognitio, secundum diuersas, ex quibus ortum dicit causis, ad curationem rite et cum felici successu instituendam quam maxime sit necessaria, chirurgum quoque oportet omnibus, quae circumstant rebus, ad examen acerrimum reuocatis, diagnostin, quantum potest fieri perfectissimam instituere, hancque signis pathognomonicis stabilire. Signa sequentia certissimis fere semper annumerari possunt. Prima species fungi, rheumatica seu superficialis, per periodos redit, modo abest, modo adest, modo maior, modo minor appetet, quae inconstantia a tempestatis varietate venit. Quo frequentius enim coelum frigidum calido intercurrit, eo quoque saepius aliam faciem aliumque ortum fungi obseruabis. Corpora caeterum sana, ob nitidum et bene coloratum cutis habitum, nemini suspecta, praeter omnem expectationem aggreditur. *Tumor*, qui nunc statim surgit, mollis est supra totum articulum aequalis, aequale cum ipso morbo seruat incrementum, omnibusque symptomatibus grauioribus accuratissime sese accommodat. Status aegroti antegressus medico, de vera fungi indole

dubitanti, omne dubium solvere potest, utrum scil. rheumatico an scrophulofo sit annumerandus. Dispositio corporis rheumatica, doloribus circa articulos leniter saepe errantibus, inflammationibusque erysipelatosis facile obnoxia, crebro quoque catarriis vexata, facilime offendetur a rheumatico fungo siue superficiali. Facilis vero est cognitum natura fungi profundi ex habitu corporis reliquo, ut e vultu aegroti adeo cognosci possit virus, quod in vasis alat. Pallor faciei, cachexia, per integumenta communia diffusa, glandularum quarundam v. g. colli, subaxillarium inguinaliumque, praeternaturalis tumor indolens, vel omnium, quae vasorum lymphaticorum systemati inferuiunt, turgor, sunt scrophulosi morbi testes certissimi. Insuper quoque ortus lentus ac symptomatum incrementum tardum, nil rheumatici subesse denunciat. Tumoris mollities, ab initio conspicua, nunc induritiem abit. Dolor sensim profundius ad ossa descendit, quae cruciatu acerbissimo continuoque turbat.

### §. VII.

**C**um porro alia sint mala chronica primo aspectu fungo similia, quorum vero cura a fungi medela longe discedit; haec seorsim lustrare, multum iuuabit.

Multae passim hic surgunt excrescentiae vel separatae inter se, vel gregales, non solum mole sua, sed etiam dolore molestiae v. c. condylomata, polypi, qui vero, cum integumenta communia remota sint, ad levissimum quoque attachium et attritum partium vicinarum sanguinem effundunt. Fungus vero sub integumentis communibus latet, ac integrum adhucdum retinet volumen, nec fluidi quicquam effundit. Sunt aliae quoque excrescentiae, proprie fungorum nomine insignitae, quoniam tam celeriter incrementum capiunt, quam fungi vegetabiles, ad quas a fungo, de quo nos agimus, rite distinguendas huic nomen articularis assignarunt; istarum ortus post cranii perforationem obseruatur, <sup>6)</sup> cerebri substantia a suppuratione correpta; <sup>7)</sup> in

6) PLATNERE Institut. chirurgiae, Lips. 1758. §. 71.

7) vid. LANGIVS in oper. omnib. Frcof. 1608. P. II. p. 305. RIEDLINI Observ. chir. Cent: III. Aug. Vind. 1691. Obs. 33. Eph. Nat. curios.

meatu auditorio externo <sup>8)</sup> fungi quoque surgunt. Alii in oesophago apparuerunt; <sup>9)</sup> in pudendis muliebris, <sup>10)</sup> in collo uteri. <sup>11)</sup> Nonne vero hic potius aliquem errorem iudicii virorum tantorum irrepuisse credere liceat, cum facile confundere potuissent polypos cum fungo? *Ab abscessu articulari* fungus facile distinguitur inflammatione, quae illum manifestat, omnibusque, quae phlegmoni adhaerent, symptomatibus, tumore scilicet, pulsatione arteriarum, dolore tensu maximeque febri symptomatica. Praeternaturalem a siccitate aegrotus sentit in fungo articuli rigorem, strepitumque sub motu. *Artritici tumores*, cum quibus facile confundi potest fungus, nunquam solitarii sunt, sed plures articulos in primis quoque carpum et tarsum cum digitis manuum pedumque afficiunt. Cutis in his caeterum rubra apparet, nec tactu fluctuatio percipitur.

*Hydarthrus* articulo per motum inflexo fluctuationem infert, quiescenti vero tumorem bilateralem, patellae motum non impedientem. Dolor initior diagnosis certiore reddit.

Crassissimae vero tenebrae premunt pedem, viam inter fungum articuli et *spinam ventosam*, inuestigantem. Quo minus vero aberret, sequentia semper ante oculos posita habere debemus symptomata. Spina raro occupat genu, sed plures articulos et quidem minores; deinde quoque potius in infantum ossibus quam adulorum sedem sibi parat.

A scirrho, quam statim ab initio habet, duritie discedit; <sup>12)</sup> ab oedemate, cui ab HEISTERO <sup>13)</sup> annumeratus est, foueis post impressionem superstibus, quibus caret. Ganglion magnitudine longe po-

Dec. I. Ann. IX. et X. Obs. 124. Dec. II. Ann. IX. Obs. 74. Act. Med. Berolin. Decad. II. Vol. I. pag. 105.

8) HILDANI Observ. Cent. III. Obs. 1.

9) Eph. Nat. curios. Dec. II. Ann. VIII. Obs. 110.

10) v. TULPII Observ. Lib. III. cap. 33. et 34.

11) STALPART VAN DER WIEL Observ. rarior. Cent. I. Obs. 87.

12) vid. BECKER, in dissert. citat.

13) vid. Ej. Chirurg. P. I. L. III. C. XVIII.

ne se relinquunt, dum hoc ambitum nucis iuglandis raro excedit, insuper quoque tendinibus solis adhaeret, ac digitorum pressu facile moueri potest. *Ganglia* caeteroquin sedem in carpo et tarso plurimum sibi quaerunt. *Topho* vero, tumore durissimo, ab arthritide saepe relicto, plerumque exiguo, mollior semper est, et ab attacku sensibilior. *Osteofeatum*, cum fungo articuli quoad habitum externum facile confundendum, indolentia sua, rariorque praesentia in genu, tardiore quoque incremento, omnem fungi suspicionem declinat. *Tumores cystici* neque ambitu aequali, neque materia in iis contenta fungum simulant; massa enim fluida, et sub digitis facile diffluente, nullatenus vero fibrosa, qualis fungo inclusa est, repleti sunt. Medela vero in sola extirpatione quaerenda, prorsus a fungo articuli discedunt. *Tumores burfarum tendinum mucosarum* omnino fallere possent, dum in dito tangente similem sensationem ac fungus excitant, nisi fuderent in vaginis tendinum horumque decursum accuratissime sequerentur.

### §. VIII.

#### *Caussae fungi articulis.*

Omnes, quae ortui mali fauent, caussae, commode in externas et internas separari possunt. Omnes externae violentiae, v. c. ictus, lapsus, contusiones, compressiones violentae subitae, vel lentae at crebrae, caloris frigorisque mutatio frequens, *in primis subita*, tendinum incauta turbatio per caustica, fracturae, vulnera, vlcera, flexiones ac extensiones enormes, malum producunt, dum laxitatem in ligamentis, tendinibus, vasis lymphaticis ac glandulis articularibus relinquunt, vel etiam vasa lymphatica disrupta, ut facile fluidum in ipsis contentum effundant, effusumque recipere negent.

Caussis vero internis annumerantur metastases materiae morbo-  
sae, inter quas vulgatissimae sunt materiae arthriticae, rheumaticae  
iam commemoratae, venereae ac scrophulosae, quoque iam accusatae,  
exanthematicae variae, v. c. herpeticae et scabiosae. Menses suppressi  
vel inordinati ansam praebent commodissimam malo in sexu sequio-  
ri oriundo.

Febres incaute tractatae nivis ac cito suppressae, in primis intermittentes, quas perniciosa methodus adstringens, topicis secum in intestinis incarcerationibus relictis, saepe intempestive fugat; omnia vitia, quae lentae cachexiae fomitem pariunt, morbi semina dispergunt. Interdum quoque fungus symptoma aliorum morborum est per totum corpus distributorum, quos peiores potius quam mitiores reddit. Omnes hae caussae praedisponentibus annumerandae, quia non, nisi alia caussa interueniente, in actum ductae, per se synouiam tantum articularem et glandulas articulorum singulari modo corrumpere, deinde penitus destruere videntur. Proximam igitur caussam in horum fluidorum vitiosa indole omni iure quaerimus; quae, si penitus depravata reperiantur, ossa tandem destruunt, humoresque omnes insufficiunt. Solam synouiam articularem et glandulare liquidum propterea accusamus, quia nec sanguis quoad mixtionem purus, et quoad copiam suam sufficiens, vt inflammationem efficere posset, in primis cum profundus sanguine careat, in fungo repertus est, nec serum in eodem collectum deprehensum est; cum nunquam fluctuet, sed concrementum fibrosum semper contineat. Hinc quoque facilime intelligitur, cur frequentior mali sedes in genu sit, quam altis in articulis. Genu enim prae reliquis articulationibus omnibus axungia abundant. Interdum solam laxitatem ligamentorum et integumentorum articulorum sufficere putant ad malum procreandum, sine aliis acrimoniae primariae praestantia.<sup>14)</sup> BRAMBILLA<sup>15)</sup> lympham tenacem in intersticiis cellulosis ligamentorum et tendinum stagnantem caussam fungi proximam esse credit, de qua vero opinione parum quoque certi constat.

### §. IX.

### *Prognostis.*

Quamquam in diuerso euentu mali enunciando, quod ob lethalem, quo plerumque gaudet, exitum famosum est, oleum et operam nos per-

14) RICHTERS chirurg. Bibliothek, Bd. XI. p. 22.

15) loc. cit.

lium recusant, quia tunc potius cariem accelerant. Vapores baccharum Juniperi profuerunt,<sup>39)</sup> porro decocti lignorum et Spiritus vini.<sup>40)</sup> Gummata, resinosa igne cremata salutarem fumum emittunt, articulos fouentem, in primis Gummi Bdellium, Succinum, Ambra, Myrra, Camphora, Sandarach. Auxilio minus destituentur, antegressa frictione secca et sub ipsa fumigatione continuata; facilius etiam penetrabunt, excepti pannis lancis asperis sieque cuti inficati. Picis liquidae fumigationem commendat WARNER.<sup>41)</sup> Quibus omnibus remediis frustra propter lenorem effectum adhibitis, succedere debent vesicatoria diu continuata, ut perpetuam seri excretionem faciant. Cautamen, ne adhibeas illa contra fungum tumore inflammatorio adhuc stipatum, cum inflammationem accendere possint, facile degenerantem in abscessum, quo in casu setacea tutius adhiberi possunt.<sup>42)</sup> Vesicatoriorum utilitatem diu applicatorum testantur varii auctores.<sup>43)</sup> Effectum optimum praestant in forma circuli circa genu ducti, ut omnem ambitum circulationis amplectentur. Suppuratione continuante inferuit vngv. digestuum cum puluere cantharidum impositum. Tinctura cantharidum aliquoties per diem inficata similem quoque effectum praestat. Stranguriam vero molestam auertere possunt mucilaginosa simul assumta. Fonticuli perpetua sua irritatione resorptio- nem augent, proptereaque maximi usus sunt.<sup>44)</sup> Quam proxime vero debent imponi fungo, duplici vel triplici numero, pro magnitudine fungi. Munere vesicatorii fungitur Cortex Mezerei.<sup>45)</sup> Non dubitamus de utilitate, quam praestare possit acetum Corticis Mezerei et Radicis Squillae commixtum et calide applicatum. Praeter opera-

39) vid. RICHTERS chir. Bibl. Bd. VI. p. 145.

40) vid. Geschichte einer chir. Privatgesellschaft in Kopenhagen.

41) vid. RICHTERS chir. Bibl. Bd. XI. p. 21. 42) ibid. p. 22.

43) vid. AKENSIDE, in medical. transact. I. n. 8. BELL, Abhandl. v. d. Geschwüren. ORED, med. commentaries, 7. p. 60. In Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte, p. 177. PLENCITZ, acta et observ. medica, pag. 135.

44) vid. MICHAELIS in RICHTERS chir. Bibl. Bd. V. p. 113.

45) vid. PLENCITZ, acta et observ. med. Prag. 1783. p. 135.

tiones chirurgicas, de quibus in fine sumus dicturi, quaedam alia remedia partim mechanice, partim chemice agentia, commemorare suuabit; scilicet frictionem, quae in primis ante inflammationem leni mutuoque pressu concussionem in fluido stagnante facit. Vel nuda manu exerceri potest in cuticula subtili, vel panno aspero,<sup>46)</sup> si cuticula paulo mollior hunc non moleste fert. Pressione continua robur partibus solidis restitui, fluidisque limites praescribi putat TAEGERVS (l.c.). Inuolutionem laudant WENDT,<sup>47)</sup> ETIAM THEDEN, huius methodi auctor primarius. Stillicidium quoque sanationem egregie adiuuat, dum scilicet aqua frigida, vt in vniuersum in morbis articulorum, irritabilitatem imminuit, et robore partibus relaxatis redditio, affluxum humorum iusto largiorem impedit, quo tumor indies augetur, caries tandem ac hectica febris adducitur. Electricitas<sup>48)</sup> in primis efficax reperta est ab variis Medicis, quam tamen corpora debilia, quibus balnea frigida magis conducunt, minus ferre videntur, quam robustiora. Maiori cum cruciatu vesicae in cute prouocantur igne, quam vesicato-riis. Hinc moxam imponendam suadent POUTEAU,<sup>49)</sup> ARRICRUZ;<sup>50)</sup> nullo tamen pacto adhibendam apparentibus iam cariei vestigiis. Rigiditatem vero ac contracturam post felicem curationem relictam, ortamque a musculis flexoribus in curuato situ, longaque immobilitate brevioribus corrigere valent, inunctiones oleofae frequentes medullae ossium recentis, vapores lactis calidi, balnea calida ex lacte ac sapone, circumuolutio pellium animalium recens mactatorum, sanguinis adhuc calidi, e vena animalis recens mactati fluentis destilatio. Sub ipsa fungi praesentia BRAMBILLA motus pedis suadet, vt humor arti-

46) vid. DELI dissertatione de pann. lanei asperi vs. med. chir. Erl. 1786.

47) vid. Ej. Nachrichten v. d. Krankeninst. zu Erlang., 1783. Nachr. V. VI.

48) vid. DE CACELLES Memoires sur l'électricité medicale, Paris 1780. HVNCZOVSKY, med. chir. Beobacht. auf seinen Reisen durch England u. Frankreich, Wien 1783. PERCIVAL, in Samml. auserl. Abbandl. f. pr. Aerzte, Bd. XI. p. 182.

49) Oeuvres posthumes, Par. 1783. Vol. 2.

50) Gazette de la santé par une société des medicins, Paris 1786.

cularis leni fluctuatione fluidior seruetur. TRAMPELII<sup>51)</sup> machina motus pedi restituendi gratia inuenta, nondum satis laudis sibi acquisiuit per testimonia probatae. Robur debilitato articulo, partim ut firmiori leuiorique motu gaudere possit, partim ut redditus tumoris impediatur, reddent balnea frigida martialia, balnea frigida, cui incociti fuerunt cortices aromatici et adstringentes similesque herbae, inunctiones oleorum aethereorum, sillicidium, ipseque motus mutatis vicibus repetitus.

### §. XII.

Ab medicamentis et remediis, de quibus, prout limites angusti permittunt, satis egimus, nunc ad operationes stricte sic dictas, quas chirurgia cultro instrumentisque aliis secantibus praefiat, transeamus. Hae autem sunt incisio in capsulam fungi, ut materia antea ope medicamentorum idoneorum in pus mutata effluere possit; extirratio integri fungi, amputatio ossis, condylorum separatio ope serrae. Fungus quoque profundus, ad suppurationem iam pronus, non omnem spernit medelam, modo antea non fuerit tractatus per emollientia. Imminenti suppurationi hoc modo student occurrere, ne vniuersali deuastatione articulus consumatur, ut omnem effluxum per unum tantum canalem, facilius claudendum, ducant. Locum iamiam emollitum ac supra reliquam superficiem eleuatum obtegendum suadent emplastro, deinde, si pus iam appetet, parua incisione pertundendum, quam deinde explet. Tumor plerumque hoc foramen claudit, per quod pus suum emittit, dum reliquus ambitus subsedit et sanatio sequitur. Methodum etiam sequentem multum profuisse vidi mus. Primum vesicatorium impositum est, non admodum magnum, ambitum thaleri aequantem. Locus, eius ope ad suppurationem praeparatus, et per causticum lapidem chirurgorum destructus, aperturam reliquit largam, per quam pus commode exire poterat. Quo largiter evacuato, reliquus tumor subsedit perfecte sanatus. Eandem evacuationem, tardiorem vero BELL<sup>52)</sup> per setaceum obtinuit. Igitur

51) vid. ARNEMANN'S *Journal*, IVter Jahrg. 1st. Bdes 1stes Stück.

52) vid. *Von den Geschwüren*, p. 309.

hoc exemplo edocti impeditur, quo minus credamus BRAMBILLAE, omnem incisionem fungi pestiferam habenti, urgente quoque fluctuatione. Timet nitirum inflammationem statim post incisionem exorturam, aërisque accessum, fungi eleuationem insuperabilem, febrem hæticam indies maiorem. Forsan, nisi ipse tam tristi experientia edoctus fuerit, credidit potius HEISTERO,<sup>53)</sup> optimam etiam suppurationem degenerare in malignam, affirmanti. Quid? quod eo adeo venit, vt etiam emollientia suspecta habeat atque damnoſa, sola contra roborantia et discutientia permittat. Omnia corrosiva seu cauſtica reiicit GOHLIVS.<sup>54)</sup> Contra sequimur consilia aliorum,<sup>55)</sup> qui manu certa, fluctuatione scilicet ad incisionem inuitante, incident tumorem, tam minima vero apertura, vt vix effluere possit pus, omnisque aëris introitus paecludatur.

Nunc denique de remotione extremitatis, per fungum prorsus insanabilis ac inutilis redditae, paucis agamus. Ut seruetur, quod adhuc integrum est, separanda est pars, omni sanationi illudens, quod in fungo articulare dupli modo peragitur, amputatione, vt totum membrum separetur, vel sejunctione partis cuiusdam, vel totius condylī, ut reliqua pars extremitatis seruetur. Quomodo peragenda sit amputatio, ad chirurgiam manualem pertinet; nos potius hic sumus acturi de indicationibus ad hanc tanquam sacram ancoram, ducentibus. Itaque ante omnia probe erit distinguendum, num malum sit ortum ab uniuersa humorum depravatione v. c. scrophulosa, quae quoque complicata redditur interdum miasmate venereo, quo in casu prorsus inutilis fit omnis amputatio, dum scilicet tantum palliatue agit, remoto fungo cum carie, non autem correcta infectione humorum. Contra salutem ea promittit in fungo a cauſis externis orto, scilicet a laesionibus mechanicis, a metastasibus ad articulos, dum interim reliquum corpus insons est. Talem enim fungum si removetis, impedies facile omnem resorptionem infectionemque reliquae

53) vid. Institut. Chirurg. p. 2. §. III.

54) vid. Comp. Chirurg. L. I. Cap. XXII. §. VI.

55) vid. RICHTERS chir. Bibl. Bd. VII. p. 22.

massae humorum. Denique quoque vehementia febris hecticae ante oculos bene versetur. Etenim viribus aegroti aestu febrili iam consumtis, per amputationem nullum earum incrementum excitabis, quin potius mortem accelerabis. Vires contra, etiam urgente febre hectica, adhuc praesentes vigentesque, suadent omnino ad amputationem suscipiendam; nempe per hanc solam fomies febris extinguitur. Quanquam alii auctores fuerunt amputationis mox ab initio morbi instituendae, ne aegroti vires, ad illam necessariae, morbi longiore progressu temere consumerentur; tamen, vbi spes adhuc arridet sanationis sine crudeli mutilatione praestandae, hac quoque adhuc carere possumus, utpote cum BELLIVS<sup>56)</sup> feliciorem per eam curationem obtinuerit in aegrotis per morbi durationem iam confectis, atque potius humorum inopia quam abundantia laborantibus.

Condylorum separationem ope serrae ab Anglis<sup>57)</sup> commendatam videimus, qua quidem pes seruatur, at non integer, vt per se appareat, sed immobilis atque aliquo modo truncatus. Cui operationi propterea non multum credimus, cum verendum sit, vt aegrotus largae suppurationi succumbat. Euentum optimum, utinam semper contingat, promittit exstiratio integri fungi, quam feliciter praestitit ACREL,<sup>58)</sup> qui etiam de tristi casu refert, mortis scilicet acceleratae per infelicem exstirpationem.<sup>59)</sup>

56) vid. *Abhandl. von den Geschwüren*, Leipzig. 1779. p. 310.

57) vid. PARK, Account of new method of treating diseases of the joints of the Knee ad Elbow, Lond. 1783. 8.

58) vid. Ej. chir. Geschichte im Lazarette zu Stockholm, Lüb. u. Leipzig. 1772. p. 363. 59) loc. cit. p. 364.

T H E S S.

---

I.

*Plus prodest vulgo, quid sibi morbum inferat scire, quam  
quomodo morbi carentur.*

II.

*Sectio caesaria, in linea alba facta, reliquis omnibus antecedit.*

III.

*Masturbatio tristissimique eius effectus, maximam partem ab  
asperis medicorum admonitionibus oriuntur.*

IV.

*Aer plurimorum internorum morborum causa.*

V.

*Nimia obesitas est morbosa.*

VI.

*Quies post postum hominibus conductit.*

VII.

*E vietus simplicitate morbi quoque simpliciores proueniunt.*

VIII.

*Ventriculus fons est plurimorum morborum.*

IX.

*Omnium exanthematum febrilium eadem curatio.*

X.

*Hydrops pericardii ab aneurysmate aortae arcuatae non pot-  
est distingui.*

XI.

*Phtisis pulmonalis venae sectionem permittit.*

XII.

*Vetus solidus in morbis acutis semper nocet.*

---